



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XLIV. In Domin. XV. Post Pentec. Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7. Arg.
Mors pædagoga.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)

fugas constituta præstolari possumus. Non aliud inquam, quam ergastulam ipso Tulliano multò horribilius, quam forcipes ignitas, & flammam nullo ævo sopiendam; quam Ixionis rotam cruciatuum circulo nunquam non recurrentem, quam mortem in

ipsis tormentis semper reviviscentē. Ea itaque ne nos tangant serviamus Domino DEO soli, omnia ad illius gloriam dirigentes; abrenuntiemus adversariis ejus, nosque totos cum corpore & anima eidem consecremus. Amen.



CONCIO XLIV.

IN DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Ecce defunctus efferebatur. Luc. 7.

ARGUMENTUM.

MORS PÆDAGOGA.

I.



Manuel Comes Imperator Orientis in libello de ingenua Educatione, Cæsareæ lucubratione divulgato, exhibet, & sugillat ternas, cæteras inter, aulæ Magistras A. Prima erat Pulcheriæ Augustæ talpæ sororia, & luminibus prorsus orbata. Altera Flaccillæ fœminæ consularis Romanæ, & hæc surdastra. Tertia Pelagiæ matronæ nobilissimæ, & ipsa muta.

Has ille à Juventutis proba institutione eliminat, & centoculas, ac centolinguas succenturiat. Actum de puero credit; nisi Argum quempiam, qui mores ipsius observet nactus fuerit. Actum de eo in cujus avia, ac devia inquisitum non fuerit; actum de illo cri-

am, quem Chyron quispiam salutaribus monitis non instruxerit, & exorbitantem quâ verbis, quâ verberibus non castigaverit.

Ego nihil ominis, salvâ majestate Cæsareâ, censeo luscum etiam, ac surdum, mutumque, vel unâ omnibus hisce sensibus privatum Pædagogi officio ritè fungi posse, immo nullum aptiorem eo inveniri. Et hunc si quispiam de nomine ipsum nosse exardescit, Mors est. Hanc ut cæcam ad formas, & colores dignoscendos, surdam ad preces exaudiendas, mutam ad præcavendum esse constat; ita optima præstantissimaque teste Isidoro Pelusiotâ est Magistra. Mors, ait ille, est frænatrix affectuum, custos morum, Pædagoga vitæ. Cum itaque permulti licentius exorbitent, hisce ego, & imprimis studiosæ juventuti cursum suam auspicanti, candem

Mors Pædagoga vitæ.

Isid. Pelus. Ep. 113.

Pæ-

Pædagogam, hodierna luce, vi præ-
fediti muneris mei dare constitui. Tu
Christe IESU indulge gratiam, ac be-
nedictionem.

§ I.

*Mors à Deo præcipuis quibusque Fi-
liis deputata est Pædagoga.*

II. **D**ivina Bonitas eruditura dile-
ctos sibi filios, hanc illis præ-
cæteris Pædagogam vitæ præfecit.

*Ad Magi-
stra mors.*

Inter eos, quos sibi adoptaverat
primus occurrit Adamus, cui quum
universa subjecisset; ne luxu, proritan-
te ad eum rerum omnium abundantia,
diffunderet, illius ferulæ subjecit dicens:
*De ligno scientia boni, & mali, ne come-
das, in quocunque enim die comederis ex
eo morte morieris.* Hoc dedit Pater filio
mandatum, quatenus periclitaretur fi-
lii obsequium; imposuit legem, pro-
baturus hominis voluntatem; ostendit
æquitatem, cui se subiceret, à quo
ipsi subdita forent universa. Ne verò
potius diabolus blandientem, quam
semet comminantem audiret, aut peri-
culorum instantium inscius, ad ultimi
utque iudicii diluculum, securus suis
voluptatibus indormiret mortem ei-
dem Inspectorem ob oculos statuit.
Quocunque die comederis morte morieris.
Primum quidem in anima, tum & in
corpore. In anima absolutè, in corpo-
re inchoativè; in illa gratiæ, in hac u-
sura vitæ, *Morte morieris.*

Quum autem Adam utpote infans
unius diei eandem Magistram, vel ut
par erat non suspexisset, vel cognitam
explosisset, & mandatum Domini ne-
quiter transgressus fuisset; rursus ean-

dem illi multò evidentius deputavit,
manifesto enuntiando: *Pulvis es, & in
pulverem reverteris.* Quemadmodum
ex limo formatus es: ita in eundem
brevi resolveris; Vita hæc te destituet,
& Mors depascet.

III. Expendunt hoc loco mysterium
sacri Interpretes, qua de causa Domi-
nus solius mortis mentionem fecerit,
non item iudicii, aut gehennæ, vel alio
quopiam terriculo perculerit? Cer-
tum enim est potuisse vel Cherubim a-
liquem, cum gladio flamineo in Pæda-
gogum illi sufficere; vel etiam inferni
abyssum oculis objicere; vel alio ful-
mine exanimare.

Amaricaturus Balthasaris delicias li-
teris non tam prudentibus, quam obte-
gentibus mortis necessitatem decreti
sententiam evulgavit; & confestim
commutata epulanti coturnix in vultu-
rem est; vittatique cor Promethei im-
mani morsu discerpfit, vasa sanctuaria
aurea dehiscere visa sunt in Mæotim,
seu stygem propinanti; Pellices dege-
nerarunt in Præficas; & scena luxuriæ
in catastrophem abiit Furiarum, *Compa-
ges renum ejus solvebantur, & genua ejus
ad se invicem collidebantur.*

Inflexurus Pharaonem in sua vota
Moysen cum portentis ad eum legavit,
ac tandem contumacem ac rebellem
cum toto exercitu pelagi fluctibus ob-
ruit. Inhibiturus reditum eidem Ada-
mo exturbato ad lignum vitæ in para-
dyso Cherubim stricto formidandum
gladio custodem constituit; Eccus
eundem illi, aut aliam præter mortem
Lamiam non deputavit?

Non aliam ob causam ex mente Pe-
recii, quam ut præstantissimum

Fff

omnium

omnium eidem Pædogum decuriaret; *Forer. b. l. Licet enim, ait ille, pena inferire ipsa in Gen. gravior sit, quam mors, cogitatio tamen mortis acrior, ac vehementior est ad peccatores deterrendos. Quo propius illa subit oculos, eò animum reverberat potentius, lupatoque suo inhibet, ne ad illicita feramur.*

nam Abra- ha.

Gen. 12. 1.

Gen. 15. 1.

Gen. 21. 12.

Forer in Gen.

IV. Alter, quem de Vr Chaldæorum, speciali privilegio sibi a doptaverat erat Abrahamus. Hunc ipsemet informare dignatus est; huic peregrinationem in exteras, ne domi desidiosus delitesceret indixit: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Ipsum in dubiis, ac periculosis erexit: *Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Eidem consilio aderat in turbidis, & titubanti, an Ismaelem proturbare domo sua ad urgentissimas saræ uxoris propriæ preces deberet, ait: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua; omnia quæ dixerit tibi saræ, audi vocem ejus.* Ipsum ad pietatem, ac perfectionem summam manuduxit: *Ambulacoram me, & esto perfectus.* &c. Defuncta subinde uxore illius Saræ, nunquam, & nusquam legitur ejdem Patriarchæ aut apparuisse, aut in aliquo informasse Dominus. Quid causæ? Rupertus Abbas quæ eruditione, quæ sanctimoniâ vitæ inclitus opnatur Libithinam vicarios Numinis vices in eo informando, atque in officio continendo obiisse: *Sollicita cogitatio de sepulchro, & morte, vices gerit divina protectionis.* Ipsa in Numinis locum cooptata intra æqui, redique fines eundem coercuit. Tantæ nimirum Mors

in instituendo est authoritatis, ut secundum Deum nec quicquam præstantius inveniatur.

Eapropter Abulensis exponens sepulturam Consortis ipsius in spelunca duplici, arbitratur unam partem pro corpore, aliam pro cruribus erutam fuisse; ita ut cadaver illud sepultum fuerit instar sedentis in cathedra. Hoc fitu demonstraturus magistram optimam, sibi deinceps, aliisque futuram uxorem emortuam; cujus prælectiones omnem aliam Academiæ professionem exuperarent. *Sollicita cogitatio &c.* Sub hujus disciplina, in fide, spe, charitate, hospitalitate, aliisque virtutibus in tantum provectus est Abraham, ac si ipso Deo directore, ac Præceptore usus fuisset. *Sollicita cogitatio &c.*

V. Tertius in mentem misti venit puer simplex, ac rectus, & timens Deum, Jobus nomine. Cujus ea exitit in adversis constantia, ut totius Tartari viribus concuti nequiverit; Ea sanctitas, ut perinde ac aurum obryzum, ex camino tribulationis purius evaserit. Ea puritas, ac innocentia, ut ne quidem cogitationem ullam malè probam in animum admiserit; Ea virtus ut ipsius Numinis sententiâ illi par sub convexo non fuerit: *Numquid considerasti,* loquitur ipse Dominus ad Sathan, *servum meum Job, quod non sit ei similis in terra.*

Verùm quemnam quæso Anacharses Magistram nactus est, qui eum in tantum firmavit? Quis illum tam generosos edocuit mores? Quis ad tam considerata eloquia linguam ipsius erudit? *Quis intentiones cordis direxit?*

Gen. 23. 15. Abul. b. l.

Jobi Magi. stram.

xit? Quis in medio cœcæ gentilitatis tanto lumine sapientiæ illustravit? Profecto alios inter Doctores Mors primipila, ac princeps extitit. Hæc illum erga DEUM religiosum, erga proximum benevolum, erga se ipsum austerum, in conversatione exemplarem, in precibus devotum, in vita irreprehensibilem reddidit; hæc passiones lupato coercuit, carnis blanditias subegit, sollicitudines anxias temperavit; hæc in umbilico superstitionis cetera Vatum documenta, citra Evangelii lucem in fontem servavit. *Dies mei, eructat ipse, breviabuntur; & solum mihi superest sepulchrum.* Quid inde? *Non peccavi.* Sepulchrum me à peccati lapsu vindicavit; saxum tumuli remoram iniecit, ne ad petram scandali impingerem; ex cinere progerminavit quæcumque est virtus mea; contemplatio mortis vitæ mihi extitit aurora, & diluculum.

Greg. lib. 7.
mor. c. 16.

Placeat idiolum non tam ex ore meo, quam calamo Gregorii Pontificis Maximi excipere: *Perfecta vita est, ait ille mortis meditatio, quam dum iusti sollicitè peragunt, culparum laqueos evadunt.* In exemplum hujus ac robur illico subjungit præfatum Virum ita scribens: *Vnde & B. Iob quia dies suos consideravit breviari, & solum sibi superesse sepulchrum pensavit, aptè subjunxit, non peccavi. Mors enim est socratrix assectuum, custos morum, Pædagogus vitæ.*

Cant. 1. 7.

VI. Et ne forsitàn præteriisse sexum fœmineum Dominus videatur, eandem ipsam Inspectricem sponsæ suæ dilectissimæ posuit: *si ignoras te, inquit, ò pulcherrima inter mulieres, egre-*

dere & abi post vestigia gregum. Ibi ad discas, quæ sis, & qua origine nata.

Sed quid quæso hoc suo consilio cœlestis indicare voluit sponsus? Num fortè ne caput erigeret; utpote cui tam humile pascendi gregis officium committeretur? Id luculenter expressisset sponsus, si indixisset, ut juxta receptum opilionum ritum gregem præcederet ducendo, grege illius sequente vestigia. *Væ misero gregi, cujus pastoris distorta, ac obliqua sunt vestigia. Væ, quia sic cæcus cæco ducatum præ-* Matth. 18.
stet, nonne ambo in foveam cadunt. Quid 14.
ergo est mysterium, quod sequi gregem mandat, ad se cognoscendam?

Id sanè, quatenus astuante sole, & campis siccitate pressis progrediatur secundum gregem tumultuariè incidentem, cujus festino motu pulvis in sublime attollitur, & in nubem agglomeratur. Ex hoc inquit pulvere oculis insperato te cognosces, quæ sis, & quæ genealogia tua. Hoc enim es, quod intueris, hoc eris quod obtutum tuum confundit. Hoc es, quod pulvis iste, quem grex pedibus attollit; hoc es quod ostendit illud speculum, quod non fallit; hoc es, quod docet hic Pythagoras veritatis amantissimus. Ista tua pulchritudo pulvis est, dicit; iste decor, iste ornatus, pulvis est; ista cincinnitas, & elegantia pulvis est. Si te ignoras, exito ad campum, & sequitur vestigia gregum ibi te dignosces, pulvis ille exacuet ad discutiendum cunas tuas oculos, quos fallacia tibi præcluserat. Hoc magistro si usus fueris brevi altissimam sapientiam, quæ in suimet cognitione consistit imbibes.

§. II.

*Mors omnium impiorum Magistra.**Mors magistra impiorum.**Eccl. 7.**Iob. 1.**Psal. 48.*

VI. **VT** vero his, aliisque magisterio Libitinæ probè consultum est; ita omnibus ac singulis, quantūvis impiis, ac sceleratis eandem commendat Sapiens: *Memorare, ait, novissima tua, & in aeternum non peccabis.* Non peccabis concupiscentiâ oculorum; quoniam faciliè contemnit omnia, qui se sperat moriturum. Nemo in funere congregat, raptoque vivit, quum non jam vivit, sed rapitur. Nemo aurum domui infert, quum effertur. Novit enim etsi multarum opum dives sit, plurimaque inclitus Parentela, nec quicquam secum, aut pecuniæ, aut supellectilis, aut cultus, præter linteolum, quo involvatur ablaturum. Novit quod disseruit Jobus: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Novit quod psallit David Rex: *Relinquent alienis divitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in aeternum.* Novit quod Doctor Gentium scripsit Timotheo suo; *Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quod nec auferre quid possumus.*

Non item peccabit concupiscentia carnis. Mortis enim recordatione percussa libido in liliū, sola falcis intentione demutatur. Quoties cogitat, qualis post mortem caro futura sit, toties furens in medullis flamma restinguitur. Nihil quippe sic ad edomandum desideriorum carnalium appetitum valet, quam ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale sit mortu-

um penset. Considerata quippe corruptione carnali, citius dignoscitur, quoniam cum illicite caro concupiscitur, tabes desideratur.

Non delinquet etiam superbia vitæ; utpote memor quod unus omnium idemque squallor in umbra est; unius conditionis securis cum tripode, nec pedum à sceptro distinguitur. Memor quod unus sit hominum jumentorumque interitus, & in uam coalescent ossium fascem consul, & subulcus; sagum, prætexta uno eodemque situ involvetur. Memor Numen superbiæ nostræ cinerem, quo tumorem infringat, veluti exoneranti sese in aridam Oceano opposuisse arenam, & id ipsum nobis morituris, quod quondam Jobo insusurrare: *Circumdedit mare terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi usque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Quantumcunque enim sese in sublime attollant, tandem ad sepulchri pulverem detumescit, ac deficit. Hinc Aurelius Augustinus scite concludit: *Nihil sic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentiæ mortis agitatio.* Quod si enim diem mortis suæ homines cogitare vellent, animum suum ab omni cupiditate infranarent. Nec sensus hominis distraheretur vanitate sæculi, si mortis lupato inhiberetur; nec delectaret in cinere, sed cruciaret lascivia.

VII. In divina sua Apocalypsi testatur S. Ioannes à se visos quatuor equites per quam peregrinos. Primus insidebat equo candido, arcu, & diademate insignis. Alter rufo, & huic datum erat, quatenus sumeret pacem de terra,

*Iob. 38.**Aug. lib. 11. de Gen. contra Man. 1. 28.**Apor. 6.*

terra, & datus erat ei gladius, quo se invicem interficerent. Tertius atro vehebatur, habebatque stateram in manu sua. Postremus ibat in equo pallido, & nomen illi Mors.

Alber. M.
ser. 47.

Indagat mysterium Adalbertus M. quid sibi velint hi equites, & docet adumbratas esse in iis diversas formas, quibus Assertor noster ad reducendos perversos utitur. Primum quidem educit album, quum gratiis, ac beneficiis pellicit. Subinde rufo vehitur, quum mortem suam, ac sanguinem pretiosissimum ponit ob oculos. Furvo verò, flagella immittendo, ac castigando. His omnibus incassum tentatis mortem ipsam ad conterendum, percellendumq; peccatorem educit: *Et qui sedebat super eum; nomen illi Mors: Verba illius sunt: Christus, qui insidet Mors vocatur, & per pallidum equum intelliguntur illi, qui jejuniis, & vigiliis se pallidos efficiunt. Quum Christus mortis formam assumit, eamque peccatori objicit, quantumvis ille perinde ac equus indomitus, & effrenatus Bucephalus sit, facile tamen edomat, eoque adducit, ut areat in patera luxus, palleat in purpura lascivia; ut ad crebras vigilias assuescat caro; tantumque sese voluntariis penitentis emaceret, ut ex pallore quivis legere possit, quæ de se sumpsit supplicia, quantumque indomitam antehac licentiam detriumphaverit?*

VIII. Compertissimum id credo evasisse fulminato illi Epuloni in altera vita, in qua irritis precibus lymphâ postulatâ, instabat apud Abrahamum, quatenus Lazarum vitam functum destinaret in domum fratrum suorum: *Ro-*

*go ergo te Pater, ut mittas eam (nempe Lazarum) in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Vitam quippe per omnia licentia dedecora improbissimam ducunt, certoque certius in hoc perpetuæ damnationis barathrum devolventur, nisi saluari illius consilio è præcipitio revocentur. Cui cum Abraham, Moyses & Prophetas, id est divina oracula, cælestemque doctrinam, quam habebant, objecisset; reposuit infelix Helluo: *Non sic; sed si quis ex mortuis ierit ad eos, penitentiam agent.* Mortuorum oratio penetrabilior est omni gladio ancipiti, refrænat libidinem, coercet avaritiam, adamantina infringit præcordia, & ad frugem inflectit. *Si quis ex mortuis ierit ad eos, &c.* Explodi viventes, & taxari tanquam minus è Tripode pererent, possunt; emortui, sano iudicio, tanquam inconcussa veritatis testes, neutiquam possunt. Credibilissimum habetur, quod hi oculis arbitrati sunt, quam quod alii calamo ex traditione, aut inspiratione complexi. *Si quis ex mortuis &c.* Ipse intuitus mortui mortificat lasciviam, & ad castimoniam vitæ, timoremque salutarem componit. Ita Dives iste (loquor cum S. Ambrosio) serus Magister esse incipit, cum jam nec discendi tempus haberet, nec docendi.*

Luo. 16. v
17. 18.

Ibid. v. 20.

IX. Eodem sapientissimo consilio mederi conabatur impiis quibusq; patientissimus æquè, ac sapientissimus Iobus. Sedente eo pro Tribunali accessit uxor cujuscumque prostituta mentis viri, ignara quid cum eo ageret. Me miseræ

Fff

exulu-

exultat, quæ talem nacta sum matitum, qui nec DEUM timeat, nec homines revereatur. Multus in popina, rarissimus in templo est. Domus suæ nullam rationem habet, furit, sævit, fulminat, debacchatur, & jam memet, jam prolem jam familiam diris incessit. Foris cothurno strepit tragico, aliosque obliquato despiciit obtutu, convitiatur, laceffit, nec est qui arguat coram eo.

Job. 21. 32. Absente eo effutire audent multa, præsentem autem eodem nec mutire. Quid agam? *Quis arguet coram eo viam ejus, & quæ fecit quis reddat ei?*

Eadem etiamnum agente accessit maritus alterius, & in Consortem suam multò acerbius invehi cœpit: Dei pœnam agnosco ô vir sapientissime in uxore mea, Leoni ac Draconi commorari placeret, quam illi. Truculentique idem illi sunt, sed infra sævitiam uxoris meæ. Exuperat ingenium ipsius Leones, & Dracones; diu noctuque admordere me dente venenato non cessat; calumnias, quas in me evomit, non aliunde quam è spuma Cerberi Avernalis traxisse autumo. Vel illam ipsammet Furiam unam esse, & ex profundo Orci antro ad thorum meum proreptasse. Mallem profecto tot anguibus, quot crines nutrit in capite, impeti; quam morsibus ipsius laniari. Si verbum quodpiam egurgito, millena fulmina rependit &c. *Quis arguet coram ea viam ejus?* Me sensus, ratio, vires, viæ omnes destituunt.

Quid ad hæc Jobus noster? Quid consilii deprompsit? Unicum ait superest ô bone vir, ac uxor remedium, ut nimirum eis ob oculis statuatis Libitinam. *Ad sepulchra ducetur, & in con-*

gerie mortuorum evigilabit. Esto sit emancipatus ad quævis dedecora virtuus, ut quodvis oblatum despuat consilium, sit sacri laticis immemor, sanguinis Christi inæstimabile pretium susque deque habeat, pedibus Evangelii legem proculcet, dorsum vertat Ecclesiæ in ejus gremio vivit; esto spera gloriæ, in quam vocatus, deposuerit, jamque ut sapiens loquitur, cum inferno pactum iniverit, *In congerie mortuorum evigilabit.* Esto sit ex cœtu illorum, qui in publicum prodire nequeunt citra scandalum, aut verbum proferre citra blasphemiam; aut tractare negotium citra injustitiam, aut obtutum fingere citra lasciviam, aut ingredi templum sine sacrilegio, aut pedem movere sine Numinis offensa. *Ad sepulchra ducetur &c.* Solius Lachesis falce rescinduntur vitia omnia; evigilabit ad tacitum illius silentium, qui inter stentoreos admonitionum ululatus obdormierat. In Pythagoram mortem accipiet, qui viventium despexit magisterium. Doceri se sinet in gymnasio sepulchri, qui disciplinam omnem explorat Academia, Informabitur ad pietatem intra tenebras, qui inter splendores Evangelii discere reculavit. Expugnabitur ex eis cadaverum ossibus, qui nullius cedere noverat potestati. *Ad sepulchra &c.*

Utinam, ô utinam hanc scholam frequentarent illi, qui ignobile ævum per quævis enormia vitia emetiuntur, procul dubio ad meliorem sese frugem reciperent! Utinam illi qui horas integras ad crystallini sui Consilii aras excubant, hoc speculo uterentur, mores suos sanctius efformarent. Utinam alii

*Impius
moris re-
cordatione
respiciit.*

alii ulurarii, arrogantes, afortii idem consilium sequerentur meliori & ipsi vitæ redonarentur, & si vel Lemuribus inferni antehac perfimiles extiterint rationes suas ac statum religiosius componerent.

Diaboli
mores di-
versis.

X. Duorum Lemurum Avernaliū sibi è diametro oppositorum alios inter sit mentio in sacris literis. Unius superbiſſimi, & arrogantissimi, qui ausus est tentare Reparatorem salutis nostræ in eremo; & sollicitare ad homagium sibi exhibendum: *Hec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Alterius autem modesti, ac reverentis qui videns Christum à longè venientem ivit obviam illi, & proximus factus devotissimè adoravit: *Videns IESVM à longe cucurrit, & adoravit.*

Matth. 4.

Marci 5.

Quis per Deū hunc Diabolū ad reverentiam faciendā filio Dei inflexit? quis informavit? quis Magister extitit? Liquec sane præfractissimos hos esse Genios. Compertū æternis à Deo odiis, esse divinos, & malle millies gehennam perpeti, quam tumorem deponere. Quis ergo hunc edocuit? quis edomuit obstinatam indolem? in qua schola mores tam urbanos, & Christo debitos profiteri didicit? Audiamus Evangelium: *Domicilium habebat in monumento. Diu noctuque morabatur in sepulchris, & cum mortuis conversabatur.* Ab his edoctus est tantam observantiam, ex imaginatione continua mortis tantus Politicus evasit. Ergo si tantum vel ipse Orcus sub hac Pædagogia profecerit, minusque sperandum erit ab homine, eoque Christiano, & fideli?

XI. Ego replicat hic quispiam sæpenumero de morte cogito, ipso ne-

mo est, cui non vel invito ingerantur horridæ illius imagines. Vix dies effluit, quò non pulsantur campanæ pro manibus; vix hora, quâ non auditur quispiam hic, aut alibi sublatus. Inter mortes, & mortibus vivimus, & tamén pluribus id parum ad correptionem conducit, nec ullum vivendi licentiæ convitium faciunt, nec è teporis sandapila una mecum exurgunt. Ergo præfata Magistra tanti neutiquam habenda, ut jactatur.

Ajo ita revera esse; verum non in Informatrice, sed in discipulis vitium est. Hi enim non nisi superficie tenus de morte cogitant, & perinde ac si ad illos nequaquam pertineret. Haud dispari ratione, quam si quispiam inscriptionem Epistolæ alteri credendæ legat, nec cõperit, sed remittit; ipsi cum mortis icone procedunt. Vident vicinum mori, & dicunt Titius nobis valedixit: Requiescat in pace. Vel si forsitan bilem in eum coquant: Requiescat in pice; & in se nullatenus descendunt.

XII. Nabuchodonozor per somnium vidit arborem excindi, (in quo ipse adumbrabatur) *cujus aspectus ad terminos universæ terræ, folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius.* Vix autem evigilaverat, & somnus fugerat ab eo, in tantum, ut opus fuerit, somnium illius divinare. Equa ratione permulti mortem veluti somniando respiciunt, & mox oblitterant. Vel si forsitan ad cor demittunt, mox ingruente diversarum curarum turba ad alia defleunt. Consilium autem Spiritus S. est, ut non obiter, aut in uno duntaxat opere memores illius simus, sed omnibus: *In omnibus*

Dan. 4. 1.

omnibus operibus tuis, ait, memorare novissima tua, & in eternum non peccabis.
 Eccl. 7.40. Una cogitatio modicum forsitan præstabit, at repetita profundius radices ager. Una calvaria non perceller, percellent multæ. In omnibus &c. Quotiescunque sese offert peccandi occasio, mortem, exitum animæ, instans districtissimum judicium occurrat, & desistes ab opere perverso. Mors sit nobis veluti clavus, quo navim animæ nostræ ne exorbitet, ad portum æternitatis dirigamus. Sit pædagogus

qui semper ob oculos versetur, agenda dirigat, male acta castiget, in lubrico fulciat, in omnibus manuducat. Sit Philosophia nostra mortis meditatio, quæ animam à terrenis avocemus, & ad futura ac cœlestia dirigamus. Cum respiramus, Consule Mercurio, in signum regressus animæ seu in memoriam expirationis ejus, toties meminerimus mortis si fieri potest, quatenus per mortem ductricem vitam optiamur æterna, Gratia tua
 Christe JESU.
 Amen.



CON-